

valetudine varia; nam plerumque a stomacho et a faucibus ac dolore capitis laborabat, sanguinem etiam saepe reiecit, cibi vinique minimi. libidinis in pueros pronioris, quorum maxime dilexit Cebetem et Alexandrum, quem secunda bucolicorum ecloga Alexim appellat, donatum sibi ab Asinio 30 Pollione, utrumque non ineruditum, Cebetem vero et poetam. vulgatum est consuesse eum et cum Plotia Hieria. sed Ascōnīus Pēdianus adfirmat, ipsam postea maiorem natu narrare solitam, invitatum quidem a Vario ad communionem sui, verum pertinacissime recusasse. cetera sane vitae et ore et 35 animo tam probum constat, ut Neapoli Parthenias vulgo appellatus sit, ac si quando Romae, quo rarissime com- meabat, viseretur in publico, sectantis demonstrantisque se suffugere<t> in proximum tectum. bona autem cuiusdam exulantis offerente Augusto non sustinuit accipere. possedit 40 prope centiens sestertium ex liberalitatibus amicorum habu- itque domum Romae Esquiliis iuxta hortos Maecenatianos, quamquam secessu Campaniae Siciliaeque plurimum utere- tur. parentes iam grandis amisit, ex quibus patrem captum oculis et duos fratres germanos, Silonem inpuerem, Flac- 45 cum iam adultum, cuius exitum sub nomine Daphnidis de-

---

pueros pronior, quorum maxime dilexit Cebetem et Alexan- 26 drum, quem in secunda egloga Alexim vocat donatum sibi ab Asinio Pollione (*C* Pollinione *K*)

parentes iam grandis amisit patrem captum oculis et 44 duos fratres Silonem impuberem et Flaccum iam adultum